

II^a. Deinde Iulius^a collecto^b exercitu et assumpta legione ipsorum Germanorum Alpes transiit et ad Rubiconem venit ibique exercitum suum ordinans eandem legionem Theutonicorum Antonio, qui postea Cleopatre in Egipto coniunctus est, commendavit. Post hec Romam veniens Pompeium fugavit et erarium effringens stipendia militibus larga manu distribuit, deinde mare transiit^c, Pompeium cum senatu apud Emathiam consecutus civili bello superavit ac multam Romanorum stragem dedit. His omnibus ita peractis Egiptum intravit, Ptolomeum pro occisione Pompei^d bello lacesivit, postremo in Nilo flumine navali bello devicit et necavit^e. Deinde ordinatis rebus Antonium inibi cum parte exercitus reliquit, ipse vero cum reliquis Romam rediit ibique^f cum triumpho susceptus est. Post paucos autem dies Capitolium quasi de re publica ordinaturus ingreditur et a quibusdam civibus oppressus et confossus vitam finivit et Octaviano Augusto, sororis filio, summam rerum reliquit.

Huius^g XL et II.^h anno dominus noster Iesus Christus nascitur^g.

Hec nos breviter per digressionem inseruisse nulli displiceat; sed si quis ea pleniusⁱ scire desiderat, Lucanum vel Historiam Romanam^k legat. Nos autem^l ad incepta redeamus.

II^b. Denique prefatus Novientensis^m locus, ut prediximus, sacrilego ritu gentilitatis usque ad tempora Neronis imperatoris tenebatur. Illoⁿ namque tempore, XL.^o videlicet ab ascensione Domini^p anno, beatissimus apostolorum princeps^q, adiuncto sibi Paulo apostolo, evangelium Christi in urbe Roma predicabat. Qui cum per spiritum sanctum tempus passionis sue sciret instare, convocatis discipulis, quos idem fervor predicationis verbi Dei accenderat, tali eos sermone alloquitur: 'Videtis^r nunc,

a) BP; 'Iulius deinde' S. b) 'collato' P; 'adiecto' S. c) 'transiit' P; 'transiens' S. d) So PS; fehlt in B. e) Dahinter in PS: 'Ptolomeus a Cesare devictus de navi ad navem armatus transilire volens in undas ('inter ipsas' P) cecidit et non comparuit'. f) BP; 'rediens ibi' S. g) BP; dieser Satz fehlt in S. h) 'Huius anno' mit Zwischenraum ohne Zahl P. i) BP; 'qui vero plenius illa' S. k) B = N; 'Romanorum' PS. l) BP; fehlt in S. m) BP; 'Praefatus igitur Noviensis' S; hier setzt Mader wieder ein. n) 'eo' PS = Mader. o) B = S; in P ist für die Zahl Raum freigelassen; bei Königshofen S. 708: 'in den ziten uf 60 jor noch gotz gebürte'. p) BP; 'Domini nostri Iesu Christi' S; 'decimo' bei Mader, wo vorher die Zahl ausgefallen ist. q) 'princeps Petrus' PS = Mader. r) 'videte' PS = Mader.